

M. 3593.

DE
NONNULLIS LOCIS
HORATIANIS.

COMMENTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

PERMISSU ATQUE AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA
DORPATENSI

AD

VENIAM LEGENDI

RITE ADIPISCENDAM.

SCRIPSIT ET LOCO CONSUETO PALAM DEFENDET

NICOLAUS MOHRUS,

HORSTO-HOLSATUS,

CANDIDATUS PHILOSOPHIAE.



0777 III: 10

.....

DORPATI LIVONORUM,

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI,

MDCCCXXXII.

Imprimatur

ea conditione, ut simulac typis excusa fuerit haec dissertatio, quinque exemplaria collegio ad libros explorandos constituto tradantur.

Dorpati Livonorum die XII. Mens. Aprilis MDCCCXXXII.

Dr. Carøl. Ludov. Blum,
h. t. Ord. Philos. I et III Class. Decanus.

CCCXIII: 10

VIRO HONORATISSIMO, DOCTISSIMO,

AMICO ET FAUTORI CARISSIMO,

GUILIELMO STRUVIO,

PROFESSORI ASTRONOMIAE IN UNIVERSITATE CAESAREA
DORPATENSI,

PROPTER PERMULTA BENEVOLENTIAE ATQUE
AMICITIAE DOCUMENTA

HOCCE QUALECUNQUE OPUSCULUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

censent. Fortasse hac ratione ad recte intelligenda poëtae praeclarissimi carmina aliquantulum conferre et mihi continget. Cum vero nonnullae editiones haud contemnendae et multa programmata de locis Horatianis scripta, quorum numerus quotannis in Germania crescit, hic mihi deessent, forsitan nonnullis locis nova me proferre putavi, ubi jam antea ab aliis eadem vel etiam meliora dicta sunt. Hoc mihi monendum videtur, ne immerito furti accuser. Si aliquantulum boni in hac commentatione inesse judicaveritis, mihi que tempus suppeditabit, aliquando de aliis quoque locis Horatianis agam. Valet.

Scrpsi Dorpati Idibus Martiis a.
MDCCCXXXII.

LIBER PRIMUS CARMINUM.

Carmen primum.

Mitscherlichius perperam contendit vv. 3—6. de Graecis gloriae cupidis (cf. Argumentum p. 4.) sermonem esse; nam Horatius praecipua singulorum hominum studia delineat, nulla habita ratione, utrum Graeci, an Romani, an ex alio populo sint. Quod poëta pulverem Olympicum affert, prorsus nihil ad Mitscherlichii opinionem, certamina Olympia ac Graecos tantum hoc loco respici, probandam confert, nam quis tam ignarus est poësis, qui nesciat, carminum vim atque pulchritudinem magnopere eo augeri, quod poëtae, si de re aliqua in universum loqui velint, certam eamque plerumque praestantissimam, maximeque consilio suo aptam partem

dicant; cumque in hoc ipso carmine multa huiusmodi exempla occurrant (vv. 10. 13. 15. 19. 28.), eo magis miror, quod Mitscherlichius, vir sensu poetico maxime imbutus, poetam hoc quoque loco illam consuetudinem esse secutum, non animadvertit. Sententia simplex est: Nonnulli e ludis cujusvis generis voluptatem quaerunt. Quam ut poetice exornet Horatius, certamina Olympia, quippe quae omnium longe nobilissima praestantissimaque fuerint, commemorat, eaque vividis coloribus depingit. Mitscherlichius admodum studet probare, palmam, praemium victorum in Romanorum ludis, etsi Olympionicae corona oleagina donati sint, ad Olympia optime transferri, atque eo consilio nonnullos locos laudat, sed duobus prioribus (Virg. Georg. III. 49. 50. *Seu quis Olympiacae miratus praemia palmae Pascit equos cet.* [*studio certaminum curulium recte interpretatur Heynius*] et Propert. III. 9. 17. [*secundum Barthii editionem*] *Est quibus Eleae concurrat palma quadrigae*) ludi curules in universum intelligendi sunt, et tertio loco (Hor. Carm. IV. 2. 17. 18. *Sive quos Elea domum reducit Palma*

coelestis cet.) poeta non solum de ludis Olympiis, sed etiam de caeteris Graecorum ludis, Pythiis, Isthmiis ac Nemeaeis, ut Mitscherlichius quoque ibi dicit, loquitur, nam Pindarus, quod cuique notum est, victores omnium certaminum Graecorum carminibus suis celebravit. Locis allatis ergo, quamvis invitus, vir doctissimus demonstrat, saepius ludos Olympios, omnium clarissimos, afferri, ubi etiam alii simul significantur, eademque ratione pro praemio in universum poni palmam, solitum in ludis Romanis praemium. Sed interpretatione nostra difficultas quaedam effici videtur, si, quod Mitscherlichius contendit, vv. 7 et 8. quoque homines, qui omnia tribuant gloriae, depingi, verum sit; nam poeta hoc modo duabus imaginibus homines ejusdem generis, nimirum gloriae cupidos, delinearet, quod, ni fallor, a totius carminis oeconomia abhorret. Fortasse Mitscherlichius, ut hanc difficultatem evitet, vv. 3 — 6. gloriae cupidos e Graecis, vv. 7 et 8. e Romanis esse intelligendos affirmat, quam opinionem falsam esse, modo demonstrasse mihi videor. Eadem difficultas inest in vv. 9

— 10. et 15 — 18, nam iis versibus quoque, si Mitscherlichii interpretationem sequamur, duobus exemplis homines ejusdem generis, et quidem divitiarum cupidi ante oculos nobis ponuntur. Prioris loci difficultatem quidem ita tollere possemus, ut diceremus, vv. 7 et 8. non gloriae cupidos, sed honoris avidos, tamquam diversum hominum genus, significari, sed partim ne haec quidem interpretatio satis placet, partim alter locus simili modo exponi non potest. Aliam igitur viam in hoc carmine explicando ingrediamur, oportet. Equidem arbitror, omnes diversorum hominum imagines, quas poeta suaviter adumbrat, ita esse interpretandas, ut credamus, homines illos, utrum utilitatem negotiis suis sibi parent, nec ne, vix aut omnino non respicientes, e re ipsa maximam capere voluptatem. Qui certaminibus operam dant, non gloriae cupiditate, sed ludorum ipsorum amore impelluntur; qui honores appetunt, in republica administranda summam ponunt voluptatem et sic porro. Hac interpretatione prohibetur, quominus ab Horatio duobus exemplis idem descriptum esse hominum genus

statuere cogamur, nam latifundiorum possessores et mercatores tum nihil inter se habent commune. Accedunt praeterea ad sententiam nostram stabiliendam ac probandam duo argumenta. Primum favent interpretationi nostrae verba *juvat* (v. 4.), *gaudentem* (v. 11.); *non spernit* (v. 21.), *juvant* (v. 23.), quae omnia, nisi egregie fallor, demonstrant, homines delinatos ex ipso labore ac negotio gaudium voluptatemque haurire, atque hac ex causa se dedere illis negotiis, nam si poeta voluisset homines utilitatis causa rei alicui studentes ante oculos ponere, verbis ejusmodi vix uti potuisset. Hanc ob causam quoque illorum opinio rejicienda est, qui censent, verbum *collegisse* (v. 4.) esse verum praeteritum. Majoris etiam momenti alterum argumentum esse mihi videtur, quod e totius carminis nexu et consilio est petatum. Si Horatius diversa hominum studia recensens etiam gloriae divitiarumque cupidos enumerasset, profecto se cum illis comparando suspicionem movisset, se quoque vel gloriae honorisque, vel divitiarum cupiditate, non poësis ipsius dulcedine, ad carmina

componenda esse allectum. Poëta ipse quidem Epist. II. 2. 51. 52. dicit;

-- *paupertas impulit audax,*

Ut versus facerem --

sed recte commentatus est ibi Doeringius: *Horatius paupertatis, qua ad versus scribendos se adactum esse simulat, professione poëtas famelicos notare et deridere voluisse videtur.* Sin vero statuimus, Horatium tantummodo Graecum illud: Ἄλλ' ἄλλος ἄλλῃ καρδίῃ γίνεσθαι (Archilochus in Anal. Br. T. I. p. 45.), vel Latinum: *Trahit sua quemque voluptas* (Virg. Ecl. II. 65.), exemplis exponere et probare voluisse, optime studium poësis, quo ipse flagrabat, cum diversis illorum studiis laboribusque comparare potuit, neque eo vituperationem sibi contraxit.

Fortasse est, qui contendat, poëtam studium suum tamquam unicam laude dignum opposuisse aliis vituperandis. Hoc modo Virgilius (Georg. II. 502 seqq.) beatæ ac tranquillæ rusticorum vitæ alia vivendi genera opponit, sed qui locum laudatum contulerit, facile diversum utriusque poëtae consilium videbit.

Nam quid tandem vitii inest in paupere rustici vitæ, quid est, cur reprehendas illum, qui genio suo indulgeat, et alium, qui ex feris persecuendis capiat voluptatem? etsi fortasse in caeteris vivendi generibus allatis, quæ perstringi possint, invenias. Id præcipue in mercatorem cadere videtur, quem modo lucri faciendi causa, patria relicta, vitæ periculum subire facile opinaris, sed ille quoque potissimum negotii ipsius amore, partim etiam consuetudine ad naves quassas reficiendas ac denuo proficiscendum impellitur. Quicumque cum nautis, quos senectus, quominus continent pristinum vitæ genus, impedit, atque in urbem aliqua vel ruri degere cogit, de vitæ ipsorum præterita loquitur, certo animadvertit, quanto maris et navigandi desiderio etiam nunc teneantur, quamvis de vitæ necessitatibus securi sine vitæ discrimine in terra vivere possint. Quod certo Horatium non fugit, qui optime hominum naturam et mores noverat. Tranquillum vitæ genus pauperis coloni oppositum est periculosæ vivendi rationi locupletis mercatoris, et quemadmodum rusticus ne maximis quidem

praemiis propositis permoveri potest, ut navigationi operam navet, sic nauta, quamquam inter ipsam tempestatem, morte proxime imminente, ruri otiose degere statuit — *rura enim noli cum Bentejo depravare in tuta* —, tamen, postquam pericula effugit, consilium rejicit et denuo mari se committit. Verbum *pauperies* hic optime adhibetur a poëta ad significandam vitam rusticanam haud abundantem divitiis, quoniam aliis quoque locis agricolae pauperes appellantur, ut Od. I. 12. 41 — 44:

*Hunc (Fabricium) et incomtis Curium
capillis*

Utilem bello tulit, et Camillum

Saeva paupertas et avitus apto

Cum Lare fundus;

et Sat. I. 6. 71.

-- *macro pauper agello.*

Maxime miror, quod recentiores editores, quos vidi, omnes, etiam Jahnius, qui tanta diligentia, quanta non facile alius, quidquid de singulis Horatii locis dictum est, collegit et respexit, silentio praeterierunt unice rectam explicationem verborum *Attalicis conditionibus*

(v. 12.), quam Manso proposuit in commentatione sua de Attalis p. 428, adjecta vitae Constantini Magni. Interpretes enim censent verba illa simpliciter dicta esse pro *divitiis*, *quales ab Attalo relictæ sunt*, nec tamen quisquam exponit, quo tandem modo *conditiones* dici potuerint pro *divitiis*. Manso vero l. l. ostendit, Pergami reges, praecipue Attalum secundum, vi pecuniae ingenti emisse artificia, ergo optimas conditiones proposuisse iis, qui antea ea possiderent. Quod si perpenderit, facile intelliges, quid significant *conditiones Attalicae*, neque opus esse tibi videbitur statuere insolitam illius verbi significationem.

Nexum vv. 3 — 10, de quibus multum disceptaverunt viri docti, optime exposuit Jahnius in annalibus suis philologicis ac paedagogicis Vol. IV. fasc. 3. p. 277 seqq. idemque aequè bene defendit lectionem *me* (v. 29) l. l. p. 283 seqq. Non habeo, quae addam ejus argumentis, eademque repetere displicet, quare illos locos silentio praetermitto.

Carmen secundum.

Maxima ex parte clarissimum Mitscherlichium optime atque elegantissime interpretatum esse hoc praeclarum Horatii carmen, haud facile quisquam negabit; nonnulla tamen vituperanda in explicatione mihi deprehendisse video, eaque breviter perlustrabo.

Primum videamus, quo tempore illud esse compositum verisimile sit. Suo jure profecto vir doctissimus istorum opinionem, qui credunt, hoc carmen a. DCCX. scriptum esse, repudiat, quoniam tunc Horatius, cum a partibus Bruti staret, carmen ad Augustum celebrandum, quin Deum appellandum, certe non fecit; num vero Sanadoni sententiam, qui a. DCCXXVII. illud scriptum esse arbitratur, satis gravibus argumentis refellerit ac redarguerit, quaeri adhuc potest. Viri illius sententiam eo, quod hoc anno Caesar *princeps* (idemque *Augustus*) a senatu appellatus sit, sustentari, Mitscherlichius ipse fatetur, sed praeterea aliud argumentum idque gravius ad hanc sententiam probandam

mihî in ipso carmine inesse videtur. Etenim si paulo accuratius v. 44 — 52. respexerimus, Horatium iis rogare Augustum, ne imperio abdicet, sed diu rempublicam Romanam administrare pergat, facile intelligemus; nam quid aliud iis significari possit, equidem me hercule non video. Jam vero ex Dione Cassio (LIII, 16.) constat, a. DCCXXVII. denuo, ut antea a. DCCXXV, Augustum imperium deponere voluisse; bene igitur, etsi consilio modo mutato, ut rempublicam regere pergeret, ab Horatio admoneri poterat. Si vero cum Mitscherlichio statuamus, a. DCCXXXII. demum carmen existisse, versus illi, cum Augustus, ni fallat, neque eo anno, neque post annum DCCXXVII. unquam de honoribus suis vere deponendis cogitaverit, prorsus otiosi sint. Aliud argumentum hoc est: Augustus, cum anno DCCXXVII. imperio abdicare vellet, se tantummodo J. Caesaris ulciscendi causa rempublicam administrasse, jam vero finitam esse ultionem dixit; itaque quinque annis post vix appellari poterat ultor Caesaris. Denique bella civilia in memoriam revocare et de ruentis imperii rebus loqui a.

DCCXXXII. vix tempus erat, cum illa jam diutius finita essent et civitas per pacem et otium optime floreret. Obstare quidem sententiae nostrae videtur, quod sub finem carminis poeta Augustum hortatur, ut Parthos coërceat, quia Dio Cassius (LIV. 6.) a. DCCXXXII. Augustum Parthis belli inferendi consilium cepisse refert, sed cum Parthi paene continuo fines Romanos incursionibus equestribus vexarent, bene, quamvis bello contra illos nondum constituto, illorum puniendorum mentio fieri poterat. Itaque, quamquam vix aliquid omnino certi de carminis tempore statui potest, tamen Sanadoni sententia mihi multo probabilior videtur, quam Mitscherlichii. Sed haec hactenus.

Maxime vero errasse crediderim Mitscherlichium in versibus 21 — 24. explicandis. Ut res melius perspiciatur, verba ejus ipsa referam. In carminis argumento p. 24. legimus: *Novas adeo intestinorum bellorum calamitates, quibus ista scelera Dii vindicaturi sint, nobis imminere (vv. 21 — 24.) quum nova ista prodigia facile fidem faciant; rationes ineundae sunt, quibus labantem civitatem sustentemus;*

atque in interpretatione ad vv. 21 — 24. p. 31: *Interpretatur portenta et ex iis auguratur nova bella civilia, plane ut Virg. Georg. I. 489 seqq.* Aperte igitur contendit vir doctissimus, Horatium hoc loco de bellis futuris, instantibus, dicere. Sed quo tandem modo in carmine, Augusto ipsi dedicato, aliquid ejusmodi locum habere potest? Nonne imperatoris ira vehementissima excitata esset in poetam, qui dicere ausus esset: Imperium tuum tranquillum non erit, tu nondum finem imposuisti reipublicae calamitatibus, civiumque tumultibus, sed nova exorientur bella civilia, novisque turbis concutietur otium, quo nunc fruuntur Romani? — Quo quid insanius in hoc carmine poeta dicere potuerit, equidem sane nescio: Non possumus igitur, quin aliter exponendos esse hos versus credamus, nam certo fuit Horatius prudentior cautioreque, quam ut Augustum, potentem totius reipublicae imperatorem ac dominum isto modo laedere ausus esset, cum potius illius favorem sibi conciliare studeret. Sententia autem, quam Horatius his versibus eloquitur, nisi egregie fallor, haec fere est: Posteris nostri, propter

bella civilia, quae gessimus (non quae gesserimus) pauci, audient cives contra cives pugnasse; ita ut de bellis domesticis praeteritis, non de imminentibus sermo sit. Itaque in his versibus non inest interpretatio portentorum ante commemoratorum, sed ut in versibus antecedentibus, sic etiam in his calamitates, quibus aliquamdiu vexata erat respublica Romana, enumerantur; etenim antea quoque haud necessario de solis ultimis prodigiis poeta loquitur, sed illa quoque intelligi simul possunt, quae post Caesaris mortem urbem terruerant ac vastaverant. — Restat adhuc, ut ad locum Virgilii, quem Mitscherlichius ad sententiam suam probandam laudat, respiciamus, eoque nihil demonstrari ostendamus. Virgilius quidem loco illo (Georg. I. 489 seqq.) prodigiis, Caesaris necem secutis, nova bella civilia portenta esse dicit inter Caesaris interfectores atque triumviros; eo autem id tantum effici potest, Horatium quoque, nisi alia graviora obstitissent, e portentis allatis novas turbas domesticas vaticinari potuisse, sed quae vaticinationem ejusmodi in hoc carmine impediverint, jam supra

vidimus. Melius sane Tan. Faber et Dacierus locum illum Virgilianum attulissent ad stabilendam opinionem suam, carmen, de quo agimus, scriptum esse a. DCCXXV, eoque prodigia Caesaris mortem secuta et bella civilia tanquam vaticinio a. DCCX. edito depicta; nam si hanc sententiam amplecti velimus, hoc Horatii carmen loco illo Virgiliano est simillimum; sed cum aliis ex causis, tum quia Virgilius, quamvis de permultis aliis portentis loquatur, Tiberis supra ripas effusi nullam facit mentionem, jure, ni fallor, Mitscherlichius opinionem illam tanquam ineptam repudiat. — Haec sufficiant ad versus illos rectius, quam a Mitscherlichio factum est, explicandos; jam alia contemplemur, quae non ita totius carminis nexum afficiant.

V. 7. *Omne pecus.*

Phocas tantum dici opinatur Mitscherlichius, sed nescio, cur non aliae quoque belluae marinae intelligi possint. Apud Homerum quidem (Od. Δ. 386 seqq.) et Theocritum (VIII. 52.) Proteus phocarum pastor est, sed apud Virgili-

um (Georg IV. 394. 95.) praeter phocas etiam immania Neptuni armenta pascere traditur. Nihil igitur impedit, quominus etiam hoc loco *pecus* (se. marinum) latiore significatione accipiamus. Immo, nisi ita explicatur *pecus*, adjectum *omne* fere est supervacuum, neque periodi vim auget. *Omne pecus* idem est, quod belluae marinae ejusvis generis, quem verbi hujus usum alii loci probant, ut Hor. Sat. I. 5. 2. *omne olus*, Virg. Aen. v. 720. *in omnes curas dimittitur*; et alibi. Neque significatio verbi *pecus* hunc locum sic expediri vetat, nam a Columella VIII. 17. 7. pisces appellantur *pecus aquatile*, similique modo, cum *pecus* (*pecoris*) idem valeat, quod *pecudes*, a Lucretio II. 343. *mutae natantes squamigerum pecudes*, et a Plauto Pseud. III. 2. 45. *pecudes Neptuni*. Sed erunt, qui dicant, hac explicatione accepta, bis fere idem dici, pisces esse in montes actos, et pisces haesisse in summis arborum cacuminibus, indeque novum sumant argumentum ad ejiciendos versus 9 — 12. e contextu, tamquam spurios. Sed partim priore loco modo pisces majores sive belluae intelli-

gendae esse videntur, partim etiam alia ratione haec *κατωλογία* prohibetur. Ponamus enim post *montes* majorem interpunctionem, ita ut vv. 9 — 12. non pertineant ad Deucalionis diluvium, sed ad Tiberis eluvionem, quam poeta ipse viderat. Quod si fecerimus, omnia bene se habebunt, neque objici Horatio poterit, ipsum nimis copiosum fuisse in antiqua illa diluvie describenda; quare libentissime huic sententiae adstipulor, quam vir doctissimus, quem heu! praematura mors literis atque amicis eripuit, in praelectionibus suis de Horatii carminibus proposuit. Neque v. 11 et 12. locum sic explicari vetant, nam *damae* certo non sunt *ibices* *), sed aliud caprarum genus (*Dammhirsche*), non in montibus sed in campo degens, quod, ni fallor, his locis satis demonstratur:

Virg. Georg. III. 539. 40. (cf. Virg. Ecl. VIII. 28.)

--- *timidi damae cervique fugaces*

*) Harduinum sequor, qui ad Plin. Hist. nat. VIII. 55. censet, *ibicem* esse *Gemse*, *rupicapram* *Steinbock*; alii plane contrarium statuunt.

*Nunc interque canes et circum tecta va-
gantur.*

Ovid. Metam. X. 537 — 39.

*Hortaturque (Venus) canes, tutaeque ani-
malia praedae,
Aut pronos lepores, aut celsum in cornua
cervum,
Aut agitat damas.*

Ovid. Metam. XIII. 831 seqq.

*Nec tibi (Polyphemus dicit Galataeae) deli-
ciae faciles, vulgataque tantum
Munera contingent, damae, leporesque,
capraeque,
Parve columbarum, demtusve cacumine
nidus;
Inveni geminos, qui tecum ludere possint,
Inter se similes, vix ut dignoscere possis,
Villosae catulos summis in montibus ur-
sae cet.*

Ovid. Fast. III. 645. 646.

*Quaeque metu rapitur (Anna), tunica ve-
lata recincta,
Currit, ut auditis territa dama lupis.*

Martial. III. 28. 58.

Aut impeditam cassibus refert damam.

Ex his omnibus locis mihi perspicuum esse videtur, damam esse animal campestre, non montanum. Simul vero iisdem refutatur Plinii (Hist. nat. VIII. 53.) opinio, damas esse animalia transmarina. Interpunctione illa recepta recens quoque diluvium sua habet monstra, ita ut facilius injicere potuerit metum, ne tempus Deucalionis rediret.

V. 13. *Retortis litore Etrusco.*

Mitscherlichius intelligit litus Etrusci sive Tyrrheni maris, sed parum recte. Partim enim, quod Fea ad hunc locum affert, Tiberis superficies prope Romam quinquaginta pedibus altior est, quam maris Tyrrheni aequor, itaque undae ab ostio Romam usque retorqueri vix possunt, praesertim cum urbs plura milliaria distet a mari; partim, etsi mare paene ejusdem altitudinis esset, quam Tiberis in regione Romae, undae a maris litore retorqueri non possunt, quippe quod non ex adverso situm sit ostio, sed dextrorsus ac sinistrorsus se exten-

dat. Itaque eorum sententiae accedo, qui dextram Tiberis ripam dici arbitrantur. *Litus* pro *ripa* etiam alibi reperitur, ut:

Virg. Aen. III. 389, 90. (cf. VII, 43.)

Cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam

Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus cet.
Virg. Aen. VIII. 83.

- *viridique in litore conspicitur sus.*

V. 45. *Caelum.*

Sic falso scripserunt Mitscherlichius, Fea, Jahnius, Doeringius, nam vix dubitari potest, quin hoc verbum a Graeco *κοῖλον* sit derivatum, ergo *coelum* scribendum. Alii quidem illud dictum esse putant, quasi *caelatum sideribus*, quod mihi durissimum videtur. Caeterum fortasse etiam hac derivatione sumta *coelum* scribendum erit, nam *caelare* quoque e verbo *κοῖλον* exortum esse, ergo rectius *coelare* scribi crediderim. Magis etiam, quam caeteri, vituperandus est Doeringius, cujus levitas ac temeritas in Horatio edendo inde quoque apparet, quod in verbis scribendis sibi ne constans

quidem est. Sic omnibus caeteris locis recte excudendum typis curavit verbum *levis*, sed Epod. XVI. 34. cum in contextu, tum in annotationibus *laevis* scripsit. Optime quidem scio, esse, qui ne verba *levis* — glatt — et *levis* — leicht — inter se confundantur, in priore scribendo diphthongum *ae* adhibeant; sed quis tandem tam ignarus est prosodiae, qui nesciat, in altero verbo priorem syllabam produci, in altero corripri? cur igitur ad errorem, qui saltem in versibus nunquam oriri potest, praecavendum, verbum falso scribatur? Nullo enim modo diphthongum *ae* admitti posse arbitrator, cum verbum *levis* derivatum sit a verbo Graeco *λεῖρος* (*λεῖρος*)*, in quo medio antiquissimis temporibus digamma fuisse, sed postea excidisse, litera *ρ* in verbo *levis* testatur, nec vero usquam Graecum *εῖ* in *ae*, sed aut in *e* aut in *i* mutatum sit. Eandem inconstantiam Doeringius ostendit in aliis verbis scribendis,

*) Eadem ratione e Graeco *ὑλη* (*υλη*) Latinum *sylvia* exortum est; e Graeco *λαιός* (*λαιός*) Latinum *laevus* cet.

ut Od. I. 27. 23. *illigatum*, Epod. III. 11. *inligaturus*; Od. I. 3. 23. *inpiæ*, Od. I. 27. 6. *impium*. Haec exempla jam sufficient ad iudicium meum probandum. Minoris momenti hoc fortasse nonnullis videbitur, attamen notandum mihi esse putavi.

Carmen quartum.

Vv. 7. 8.

... dum graves Cyclopum

Vulcanus ardens urit officinas.

Copiose de hoc loco Mitscherlichius disputat, sententiamque suam facit verisimillimam, fortasse tamen ille aliter est explicandus. Imagine secundaria interdum uti Horatium, optime quidem demonstravit vir doctissimus, sed fortasse paulo temerius atque praeter necessitatem hoc loco imaginem ejusmodi esse statuit. Equidem — minime tamen me unice verum invenisse adsevero — hunc esse sententiarum nexum crediderim: Vere redeunte tota natura novo quasi vigore repletur, prata viridescunt,

pecudes, stabulis relictis, pascuntur, atque homines Diique negotia sua solita, sed per hiemem neglecta, repetunt. Jam ad hanc simplicem sententiam exornandam e Diis affert poeta Venerem, maritumque ejus, Vulcanum, qui tempore aestivo fulmina fabricari Jovique suppeditare debet, quibus hieme non erat opus, quare tunc in officinis ejus opera non fiebant. Quae interpretatio si vera est, ea quoque, quae de Vulcano dicta sunt, efficiunt imaginem primariam, neque necesse est statui secundariam, ad quam, nisi necessitate urgente, non confugerim. Praeterea cum jam in antecedentibus Venus choros ducere *imminente Luna* dicatur, potius alibi, quam prope Aetnam hoc fieri crediderim, nam imago nimis onusta videri posset, si poeta diceret: Choreae a Venere cum Nymphis Gratiisque instituuntur, fulgente Luna, idque ad radices Aetnae, ut, Vulcanus simul ex Aetna ignem ejiciente, eo plus lucis ac splendoris adsit. — Paulo ante v. 7. verba *alternopede* a Mitscherlichio explicantur hoc modo: *alternatim, e rhythmi lege, nunc molliter, nunc gravius impresso*; minime apte, ut mihi

quidem videtur. Nam quo tandem modo verbis *alterno pede* poëta significare potuit, pedem sive pedes jam mollius, jam gravius terram tangere? Poëtica dictum est potius pro *alternis pedibus*, i. e. nunc uno, nunc altero pede, attingunt solum, ut v. 10. *flore* pro *floribus*, v. 1. carminis sequentis *multa rosa* pro *multis rosis*, et sexcenties alibi.

Carmen sextum.

In universum quidem Mitscherlichius initium hujus carminis recte intellexisse atque explicasse videtur, sed male interpretatur *scriberis* per *scribaris licet*, nam sententia unice apta haec est: Equidem rebus a te gestis celebrandis impar sum, ergo Varius eas scribat sive scribito; nam quae ex Mitscherlichii interpretatione prodit: Permitto, ut Varius facta tua canat; cum poëta, ut Mitscherlichius ipse in argumento dicit, Agrippae se excuset, cur non celebret carminibus facta ipsius praeclara, esset absurdissima; neque, quae Mitscherlichius

addit, huic pravae explicationi favere videntur. *Laudabunt* Od. I. 7. 1. et *bibes* I. 20. 10, quos locos ille ad probandam opinionem suam laudat, omnino per *licet laudent*, et *licet bibas* explicari oportet; sed his locis paulo accuratius inspectis, futurum ibi in nexu plane alio esse usurpatum, nemo non facile videbit: ergo nihil illis demonstratur. — Caeterum lectio omnium librorum manuscriptorum *alite*, quam plerique editores, Passeratio duce, mutaverunt in *aliti*, mihi non videtur mutanda. Usus enim loquendi, quo casus sextus positus est pro praepositione *a* cum eodem casu, sive pro casu tertio, quamquam est rarissimus, tamen pluribus exemplis satis probatur ab Heineckio in Animadversionibus ejus in Juvenalis satiras p. 28. ad Sat. III. 90. 91. Itaque maxime miror, etiam Jahnum non solum lectionem genuinam non recepisse, sed etiam in adnotationibus suis ad hunc locum dixisse, se non videre, quomodo lectio *alite* explicari possit.

Carmen octavum.

V. 4. . . . *patiens pulveris atque solis.*

Male interpretatur hunc locum Mitscherlichius *patiendo ibi pulverem ac solem*, ita ut sententia fere haec sit: Campum Martium odit, quia pulverem et solem ibi perferre debet; quae non est apta. Expediendus est locus ita, ut *patiens pulveris atque solis* sit, qui, nisi amore tuo corrumpetur ac detineretur, tolerare posset exercitationes in campo Martio. Usus loquendi quoque hanc explicationem probat, nam si participia ejusmodi cum casu secundo junguntur, continuam virtutem aut vitium significant, sin vero casus quartus ea sequitur, de certo quodam casu sermo est, ergo secundum Mitscherlichii explicationem poeta scribere dehisset *patiens pulverem atque solem*. Rem satis notam exemplis probare non erit opus.

Carmen vicesimum secundum.

Vv. 9. 10. . . . *et ultra*

Terminum curis vagor expeditis.

Omnes, quos vidi interpretes, *ultra termi-*

num conjungunt cum verbo *vagor*, quod mihi quidem minime placet, nam tum plane otiosa sunt verba illa, quoniam is, qui *vagatur*, opinor, certos fines nunquam servat. Multo melius conjungis *curis ultra terminum expeditis*, i. e. *nimis incaute, nimis secure*.

LIBER EPODORUM.

Carmen primum.

Vv. 27. 28.

Pecusve Calabris ante sidus fervidum

Lucana mutat pascua.

Mitscherlichius aliique interpretes hanc structuram appellant hypallagen, sed quoniam *mutare* saepissime hoc modo usurpatur, potius statuam, hoc verbo non solum significari Germanicum *vertauschen*, sed etiam *eintauschen*; nam mirum videri potest, permulta reperiri exempla inversae hujus verbi structurae, cum

alias non ita multa occurrant. Exempla ejusmodi caetera ex Horatio ipso haec sunt:

Od. I. 17. 1. 2.

Velox amoenum saepe Lucretilem.

Mutat Lycaeo Faunus cet.

Od. II. 16. 18. 19.

-- *quid terras alio calentes*

Sole mutamus.

Epod. IX. 27. 28.

--- *Punico*

Lugubre mutavit sagum.

Sat. II. 7. 109. 110.

--- *puer uvam*

Furtiva mutat strigili.

Eadem ratione adhibetur *permutare* Od. II. 12. 23. et Od. III. 1. 47. Alia exempla affert Mitscherlichius ad Od. I. 17. 1. 2, eorumque numerus facillime potest augeri.

Carmen secundum.

Vv. 13. 14.

Aut in reducta valle mugientium

Prospectat errantes greges.

Mitscherlichius verbum *reducta* explicat *sinuosa*, sed facillime hac interpretatione error gigni potest, cum hoc verbum significat *voller Krümmungen*, quod Mitscherlichium dicere voluisse, minime crediderim, quia ad Od. I. 17. 17, ubi etiam *reductae vallis* mentio fit, rectius interpretatur *quae in longinquum recedit, seque retrahit*, quamquam ibi quoque vitiosum istud *sinuosa* addit. Quam maxime certo cuivis interpreti cavendum est, ne in explicando auctore a quoque verbis, quae ipsa de- nuo requirant explicationem, utatur; quod nisi fecerit, lector minus eruditus facillime locos ejusmodi, quos sine explanatione rectius intellexisset, falso intelliget, quod etiam hoc loco facillime fieri posse, nemo non videbit. Caeterum Mitscherlichius, alios nonnullos editores secutus, contra omnium librorum manuseriptorum fidem ante hos duo versus posuit vv.

Inutilesque falce ramos amputans

Feliciores inserit;

qua transpositione opus non esse, Bentleyus satis ostendit.

V. 24. -- in tenaci gramine.

Mitscherlichius male repudiat optimam explanationem Torrentii: *tenax*, quod recubantem virore suo oblectat et detinet. Ipse interpretatur gramen *tenax* densitate sua, *densum*; sed quomodo *tenax* idem valere possit, quod *densum*, me non videre, ingenue fateor. Alii interpretes gramen *tenax* dictum esse volunt, quod tenaciter terrae adhaereat, nec facile cum radice evelli possit, sed hoc contra loquendi usum pugnat, nam nomina adjectiva in *-ax* desinentia significationem habent activam, non passivam, quam dicunt, ergo *tenax* id appellatur, quod aliquid maxime tenet, non quod firme tenetur, at gramen terra tenetur, non illam tenet. In re tam nota exempla non erunt opus.

Carmen quartum.

Vv. 9. 10.

*Ut ora vertat huc et huc euntium**Liberrima indignatio.*Mitscherlichius *huc et huc* ad *euntium*

pertinere et ad *vertat* supplendum esse *in illum* opinatur, sed male, nam ab homine, quem contemnimus, oculos avertere solemus. Praeterea satis constat, fere semper fuisse honorificum apud Romanos aliorum oculos in se convertere et digito monstrari, quamquam Mitscherlichius locum contrarium ex Ovidio (Amor. III. 6. 77) attulit.

Carmen octavum.

Vv. 1. 2.

*Rogare longo putidam te saeculo,**Vires quid enervet meas!*

Mitscherlichius ad hunc locum commentatur: *Plenior oratio erat: Eho tunc sustines, te haud dispudet rogare cet;* sed haec verba mihi non videntur subaudienda, quippe quibus sententiae vis pervertatur et paene frangatur. Suppleas potius, si vis: satis mirari nequeo, vel simile quid. Attamen etiam hoc mihi displicet, et, nisi fallor, omnino alia ratio in explicandis periodis ejusmodi ineunda est, ita

ut prorsus nihil esse subaudiendum statuamus. Ut enim exclamationes sine infinitivo, interjectionibus partim additis, partim non additis, in casu quarto saepe poni solent, sic etiam secundum analogiam ad hunc casum infinitivus mihi adjici posse videtur. Exempla exclamationum, in quibus casus quartus adhibitus est, non sunt pauca, quamobrem, et quoniam haec res unicuique nota est, necesse non erit afferri multos locos ex scriptoribus veteribus ad probandum hunc loquendi usum. Sed optime firmari arbitror sententiam meam hoc Ciceronis loco (ad Fam. XIV. 1.): *Me miserum! te ista virtute, fide, probitate, humanitate, in tantas aerumnas propter me incidisse!* Quis est, qui non videat, in hac periodo omnino eodem modo, quo *me miserum!* etiam *te incidisse!* dictum esse. Quae ratio, cum hoc loco manifesto valeat, non dubito, quin in omnibus ejusmodi exclamationibus sit accipienda. Exempla simillima haec sunt:

Cic. in Verrem V. 38. *O spectaculum miserum atque acerbum! ludibrio esse urbis gloriam et populi Romani nomen!*

Terent. Heaut. III. 1. 93. 94.

-- *Di vostram fidem!*

Ita comparatam esse. hominum naturam omnium cet.

Alium locum etiam afferre liceat, ubi etiam interjectio addita est infinitivo, in exclamatione adhibito, Terent. Eun. H. 1. 2. 3.

-- *Ph. Satine hoc mandatumst tibi? Pa. Ah Rogitare, quasi difficile sit!*

Carmen undecimum.

V. 18.

Desinet imparibus certare submotus pudor.

Omnes fere interpretes hunc locum explicant: *desinam certare cum rivalibus, quibus impar sum;* sed si verba accuratius perpendimus, rivales dicti sunt impares, non ille ipse; nec usquam, quod sciam, impar is appellatur, qui alterum superat, sed is, qui imbecillior est, quam ut cum altero pugnare possit. Si vero impares ipsi sunt rivales, ergo facile vinci possunt, cur tandem illis cedere vult, neque potius certamen ad finem exoptatum

perducit? Ergo, ni fallor *imparibus* casus tertius haberi nequit, quamquam *certare* interdum cum hoc casu conjungitur, ut Od. II. 6. 15. Epod. II. 20. Sat. II. 5. 19, sed potius est casus sextus, subaudito verbo *armis*. Haec ellipsis quidem non est in earum numero, quae saepissime occurrunt, sed nonnulla alia substantiva quoque semel vel bis tantum ommissa sunt, ubi secundum totius periodi nexum facillime suppleri possunt. Sic Liv. XLIV. 2. *consul menstruum jusso milite secum ferre — castra movit*; ubi subintelligi oportet *cibarium* sive *frumentum*; Suet. Oct. 74. *Convivabatur et assidue, nec unquam, nisi recta*; quo loco subaudiendum est *coena*. Ut propter verbum *convivabatur* omitti potuit *coena*, sic, ut mihi videtur, etiam hic *armis* propter verbum *certare* facile suppletur. Attamen si quis demonstraverit, eum quoque dici posse imparem, qui antecellat viribus adversario, hac conjectura mea rejecta, *imparibus* casum tertium habeo, quoniam ellipsis praeter necessitatem mihi non videtur statuenda.

Liceat mihi hic, occasione data, alium

eumque similem Horatii locum, adhuc, quia falsum ab editoribus suppletur substantivum, falso explicatum, rectius interpretari. Sat. I. 6. 110. 111. haec leguntur:

Hoc ego commodius, quam tu, praeclare senator!

Multis (Millibus? *) *atque aliis vivo*.

Plerique interpretes subaudito verbo *hominibus* conjungunt *quam tu multis atque aliis*, pro *atque multi alii*, quam structurae mutationem durissimam esse, atque ejusmodi, quae vix ferri possit, facile apparet, nec satis mirari possum, hoc viros doctos fugisse. Alii interpretes nihil movent, ergo silentio hanc vulgarem interpretationem accipere videntur. Sed certo nihil est omissum, omniaque optime se habent, modo jungas *hoc atque multis aliis* (gen. neutr.) i. e. in hac re (quam modo attulit) et in multis aliis rebus. Egregie firmatur eo sententia mea, quod post hunc locum usque ad satirae finem per amplius viginti

*) Mihi non satis liquet, utra lectio praeferenda sit, at tamen putaverim, *millibus* vix defendi posse.

versus res enumerantur, quibus poeta commodius vivit, quam qui magnis fruuntur honoribus. Idem vir doctus, quem supra ad Od. I. 2. 7. laudavi, optime videns, ferri non posse vulgarem explicationem, ejicere voluit:

praeclare senator!

Multis atque aliis vivo.

ita ut legeret:

Hoc ego commodius, quam tu. Quacunque libido est cet.

sed hoc remedium paulo vehementius videtur. Dijudicent rem viri me doctiores, dummodo hoc mihi concedant, interpretationem vulgarem esse falsam.

Carmen sextum decimum.

Mitscherlichius ante initium belli inter Augustum et Antonium gesti hoc carmen scriptum esse existimat, sed hanc sententiam vv. 1. 2, in quibus poeta de re praesente, non futura loquatur, refelli arbitror. Antonius ingentes copias et terrestres et navales paraverat

(Liv. Epit. I. 132), cui cum Augustus minore exercitu se opposuisset, bello incipiente incertum erat, uter victoriam esset reportaturus. Neque tamen diu post initum bellum utrarumque partium res ostenderunt, fore, ut Augustus superior evaderet, ac mox totum bellum componeret (Vell. Patere. II. 84). Itaque carmen in primo hujus belli tempore, ubi eventus ambiguus videri potuerit, ponendum esse, mihi persuasum est.

Vv. 13. 14. *Quaeque carent ventis et solibus,
ossa Quirini,*

Nefas videre! dissipabit insolens.

Male, ut mihi quidem videtur, Mitscherlichius verba *nefas videre ad ossa* tantummodo refert, cum potius ad totam periodum *ossa Quirini, quae carent ventis et solibus, dissipabit insolens* pertineant. Hoc quidem loco nexus satis commodus efficeretur, si verba *nefas videre ad ossa* tantum referrentur, sed barbaros insolentes Romuli ossa dissipantes videre certo eodem jure et fortasse majore *nefas* appellari potest. Quod tamen cum ad probandam sententiam nostram non sufficiat, alios scriptorum

veterum locos inspiciamus ac comparemus, necesse est. Ex illis, nisi fallor, apparebit, ejusmodi exclamationes semper ad totam periodum, non ad unum modo verbum esse referendas. Ut res eo melius demonstraretur, plura exempla afferemus. Cf. igitur:

Od. I. 11. 1. 2. *)

*Tu ne quaesieris, scire nefas! quem mihi,
quem tibi*

Finem Di dederint, Leuconoe!

Od. III. 24. 30 — 32.

-- quatenus, heu nefas!

Virtutem incolumem odimus,

Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

Od. IV. 6. 17 — 20.

Sed palam captis gravis, heu nefas! heu!

Nescios fari pueros Achivis

Ureret flammis, etiam latentem

Matris in alvo.

Virg. Georg. II. 30. 31.

Quin et caudicibus sectis, mirabile dictu!

*) Jahnius quidem in editione sua scribit: *Tu ne quaesieris scire nefas*, cet. sed parum recte.

Truditur e sicco radix oleagina ligno.

Virg. Aen. IV. 181 — 83.

*Monstrum horrendum, ingens, cui quot
- sunt corpore plumae,*

Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu!

*Tot linguae, totidem ora sonant, tot subri-
git aures.*

Virg. Aen. IV. 453 — 55.

Vidit, turicremis cum dona imponeret aris,

Horrendum dictu! latices nigrescere sacros,

*Fusaque in obscaenum se vertere vina cru-
orem.*

Virg. Aen. VII. 71 — 77.

Praeterea, castis adolet dum altaria taedis,

Ut juxta genitorem adstat Lavinia virgo,

*Visa, nefas! longis comprehendere crinibus
ignem*

*Atque omnem ornatum flamma crepitante
cremari,*

*Regalesque adensa comas, adensa cromo-
nam,*

*Insignem gemmis; tum fumida lumine
fulvo*

Irvolvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.

Virg. Aen. VIII. 688.

--- sequiturque, nefas! Aegyptia con-
jux.

Virg. Aen. X. 673.

Quosne, nefas! omnes infanda in morte
reliqui?

Virg. Aen. XII. 251 — 54.

Adrexere animos Itali, cunctaque volucres
Convertunt clamore fugam, mirabile visu!
Aetheraque obscurant pennis, hostemque
per auras

Facta nube premunt.

Ovid. Metam. XIV. 406 — 11.

Exsiluere loco, dictu mirabile! silvae,
Ingemuitque solum, vicinaque palluit arbor,
Sparsaque sanguineis maduerunt pabula
guttis,

Et lapides visi mugitus edere raucos,
Et latrare canes, et humus serpentibus atris
Squalere, et tenues animae volitare videntur.

Ovid. Fast. II. 413.

Venit ad expositos, mirum! lupa foeta
gemellos.

Ovid. Fast. II. 711. 712.

Ecce, nefas visu! mediis altaribus anguis
Exit et extinctis ignibus exta rapit.

Ovid. Fast. III. 31. 32.

Inde duae pariter, visu mirabile! palmae
Surgunt.

Terent. Adelph. II. 4. 10. 11.

-- ah! stultitias istaec, non pudor, tam
ob parvolam

Rem paene e patria? turpe dictu! Deos
quaeso, ut istaec prohibeant.

Nep. Hannib. 6.

-- pulsus, incredibile dictu! biduo et dua-
bus noctibus Adrumetum pervenit.

Liv. VII. 26.

-- dictu mirabile! tenuit non solum ales
captam semel sedem, sed quotiescunque
certamen initum est, levans se alis, os
oculosque hostis rostro et unguibus appe-
tuit cet.

Haec exempla, quorum numerum, quicun-
que scriptores Romanos attento animo leget,
facili negotio poterit augere, ad probandum,

quem valere supra affirmavi, usum loquendi sufficere crediderim; itaque, quin hoc quoque loco verba *nefas videre* totam periodum spectent, non dubito.

Vv. 15. 16.

*Forte, quid expediat communiter, aut
melior pars*

Malis carere quaeritis laboribus.

Vario modo hunc locum, qui minime mutandus est, corrigere et interpretari studuerunt viri docti. Rutgersius, teste Bentlejo, pro *quid* conjecit *quod* atque conjunxit: *Forte communiter, quod expediat (quod optimum quidem erat), vel si id non potest, melior saltem pars laboribus carere quaeritis.* Bentlejus hanc conjecturam amplectitur, sed *quod expediat* interpretatur *quod bonum felix faustumque sit*, suo jure monens, Rutgersii interpretationem potius *quod expediet* requirere. Hanc lectionem, cum testante Fea in duobus reperiatur codicibus, Bothius, vulgatam omnino rejiciens, neque tamen satis refellens, recipiendam esse affirmat. Fea legit: *Forte,*

quid expediat? et subaudit *quaeritis* *), sed hoc mihi minime Horatianum videtur (cf. quae Bothius ad h. l. disseruit).

Mitscherlichius nihil mutat et locum recte hoc modo interpretatur: *Forte communiter, aut melior pars quaeritis, quid expediat carere (casu quarto) malis laboribus.* Eandem explicationem jam antea Gesnerus proposuit et optimo jure defendit. Afferit ad eam probandam Tac. Hist. III. 73. *expedire consilia sua i. e. superatis difficultatibus exsequi*; et Cic. pro Milone 4. *expedire salutem i. e. depulsis periculis conservare.* Adde Cic. ad Att. XI. 18. *rem, ut poteris, expedias*; et Plaut. Capt. prol. 40.

Et hic hodie expediet hanc docte fallaciam.

Infinitivo casu quarto posito Horatius pluribus locis usus est. Gesnerus haec collegit exempla:

*) Quid futurum tempus hic sibi velit, minime video, nisi forte per vitium typographi irrepsit.

Sat. II. 5. 68. 69.

--- *invenietque*

*Nil sibi legatum, praeter plorare, suis-
que.*

Ep. I. 19. 9.

-- *adimam cantare severis.*

Ep. II. 2. 183. 84.

*Cur alter fratrum cessare et ludere et
ungui*

Praeferat Herodis palmetis pinguibus.

His locis adde Od. II. 16. 37 — 40.

-- *mihî parva rura et*

Spiritum Grajae tenuem Camoenae

Parca non mendax dedit et malignum

Spernere vulgus.

Epod XIII. 7.

Caetera mitte loqui.

Ep. I. 16. 61.

*Da mihi fallere, da justo sanctoque vi-
deri.*

Itaque vulgata lectio certo defendi poterit, et exempla hujus usus loquendi, quae Bothius desiderat, hic jam nonnulla adsunt, et, si opus sit, ex aliis scriptoribus facile plura af-

ferri poterunt. Quoniam vero *quid* lectio difficilior explicatu est, vix credam, *quid* in contextum pro *quod* irrepisse, sed potius *quod* pro *quid*, praesertim cum duo tantum codices hanc lectionem exhibeant. Accedit denique, quod vv. sequentes docent, *quaeritis* hoc loco idem esse, quod *interrogatis*, non quod *studetis*, ergo cum infinitivo conjungi non posse. Nihil igitur erit mutandum. Negari quidem non potest, verba paulo contortius esse collocata; at nonne fortasse consulto Horatium hoc modo verba posuisse credere liceat, ut impeditam civium Romanorum conditionem quodammodo ante oculos poneret, verborumque compositione imitaretur? Non raro hac ratione poëtas res depingere, satis constat.

V. 29.

In mare seu celsus procurrerit Apenninus.

Mitscherlichius verba *in mare procurrerit* interpretatur *promontorium maris factus sit*. At singuli Appennini tractus omnia Italiae promontoria efficiunt, ergo, hac explicatione

probata, quod jam pridem factum erat, a poëta mirum haberetur. Veteres librarios hunc locum rectius, quam Mitscherlichium, intellexisse, demonstrat altera lectio *proruperit*, quae, a Fea falso recepta, verba *procurrerit* interpretationem exhibet. Est enim hoc loco *procurrerit* certo idem, quod *se praecipitaverit*.

Vv. 41. 42.

*Nos manet Oceanus circumvagus arva:
beata*

Petamus arva, divites et insulas.

Sic hos versus interpungunt Mitscherlichius et multi alii interpretes. Sunt quoque, qui distinguant - - - *circumvagus: arva, beata Petamus arva*, cet. quam rationem Bothius praecipue defendit. Sed utrumque falsum mihi videtur, et cum Bentlejo sic potius interpungendum:

*Nos manet oceanus circumvagus arva
beata;*

Petamus arva (sc. illa), divites et insulas.

Oceanus circumvagus enim per se nihil

offert expetendum, ergo aliquid addi erat necesse. Praeterea, si post circumvagus interpungas, idem fere (*arva, arva beata, divites insulas*) ter repetitur, quod ferri vix poterit. Melior quidem altera distinguendi ratio est, nam oceanus circumvagus arva (*agros fertiles*) jam excitare potest desiderium, sed hoc eo majus erit, si poëta arva illa appellaverit beata. Omnino igitur jungenda arbitror verba *circumvagus arva beata*. Sententia mea, nisi egregie fallor, eo quoque confirmatur, quod in versibus raro ante ultimum verbum major interpunctio locum habet, quare nisi necessitate coactus, istam distinguendi rationem nusquam statuam. Verbis *divites et insulas* verbum *arva* explicatur. Et igitur eodem fere modo adhibitum est, quo Od. I. 18. 16.

- - - *ne virilis*

*Cultus in caedem et Lycias proriperet ca-
tervas.*

Interpunctionem denique Wakefieldii:

- - *circumvagus: arva beata*

Petamus; arva, divites et insulas.

jam Eichstadius merito repudiavit in appendice

sua critica ad van Ommeren. p. 192. Doeringius, qui in distinctione cum Bothio facit, ad verba *nos manet oceanus circumvagus* subintelligit *superandus*; sed vix quisquam, credo, ei assentietur.

V. 51.

Nec vespertinus circumgemit ursus ovili.

Sic exhibet Mitscherlichius, fortasse errore typographi, cum in commentariis *circumgemit ovile* legamus. Summo vero opere hanc lectionem defendere studet Fea, sed vereor, ne oleum et operam perdidit, nam verba sonum aliquem significantia, quae cum praepositione *circum* composita sunt, ad unum omnia cum casu quarto semper conjunguntur. *Circumgemit* nusquam nisi hoc loco reperi. Sed haec aliorum ejusmodi verborum exempla sententiam meam probabunt: Senec. consol. ad Marc. 7. *Circumfremere nidos*. Senec. consol. ad Marc. 22. *Canes hominem circumlatrant*. Avien. Perieg. 48. - *totum hoc circumlatrat aestus*. Lactant. II. 8. 50. - - *in quo illum circumlatrantes philosophi omnes coarguerentur*. Ammian. XXII. 12. - - *frustra virum*

circumlatrabant immobilem occultis injuriis. Symmach. Ep. VIII. 17. - *circumlatrari injuriis*. Ovid. Trist. IV. 2. 49. - *circumplaudire manibus*. Liv. III. 28. - *clamor hostes circumsonat*. Virg. Aen. VIII. 474. - *Rutilus murum circumsonat armis*. Ovid. Metam. XIV. 507. - *remos circumsonat* (numerus avium) *alis*. Ovid. Trist. III. 14. 47. *Threicio circumsonor ore*. Ovid. Trist. IV. 10. 111. - *quamvis circumsonor armis*. Ovid. Trist. V. 3. 11. *Geticis circumsonor minis*. Seneca de vita beata 14. - *vitam circumstrepentibus minis*. Tac. hist. II. 44. - *legatus clamore circumstrepitur*. Apulej. Apol. post med. p. 322. 8. Elmenh. - *fenestras canticis circumstrepitae*. Sidon. Epist. VII. 9. - *ures tumultu circumstrepitae*. Ovid. Metam. I. 187. *Nereus circumtonat orbem*. Hor. Sat. II. 3. 323. - *hunc circumtonuit Bellona*. Sil. IV. 254. - *virum circumtonat armis*. Sil. VI. 216. - *strepitu circumtonat aulam cornea ungula*. Nullum invenire potui exemplum verbi ejusmodi cum casu tertio juncti. Itaque non facile dubitari poterit, quin *ovile* sit lectio genuina.

Vv. 53. 54.

*Nulla nocent pecori contagia, nullius
astri*

Gregem aestuosa torret impotentia.

In editionibus antiquis hi duo versus fuerunt v. 61 et 62. Cum eo loco nexum omnino turbarent, transpositi sunt a multis editoribus post v. 52. Novissimis denique temporibus Fea, Bothius et Jahnius illos collocarunt post v. 56 (*Utrumque — Coelitum*), dicentes ibi alio sensu et ratione diversa iterum gregis mentionem facere poëtam. Argumentum illorum primo adpectu satis probabile videtur, neque tamen illis adsentior, nam tum bis fere deinceps v. 55. et vv. 57. 58. poëta idem diceret, nimium tempestatis calorem ibi abesse. Neque vero post v. 52. satis apte collocati sunt, nam merito Fea monet, ibi eos ante viperae mentionem interponendos fuisse. Quare equidem, si vere Horatiani sint, eos post v. 50. scribendos esse arbitror, quod Vossius fecit. Huic loco saltem mihi maxime videntur accommodati.

Carmen septimum decimum.

V. 50.

Tuusque venter Pactumejus.

Sic pleraeque editiones exhibent, postquam Bentejus alteram lectionem *partumejus* omnino condemnavit et ridiculam fecit; sed ingenue fateor, mihi hanc repudiatam lectionem unice veram videri. Demonstravit quidem Bentejus, Pactumejum fuisse nomen saltem duobus saeculis postea, sed hoc ne opus quidem erat, nam, etiamsi *Pactumejus* lectio sit genuina, certo tamen nomen suppositi filii aliud erat, eodem modo mutatum, quo poëta Gratidiam in Canidiam mutavit. Itaque num Pactumejus nomen fuerit, necne, nihil refert. Probavit quoque, quamquam ex scriptis Latinitatis jam corruptae, nam Tacitus locis laudatis aliud verbum adhibuit, ventrem dictum esse pro infante in ventre sito. Sed vir doctissimus, omnesque editores, qui illum secuti sunt, non satis respexisse videntur versus deinceps sequentes,

praesertim verbum *utcunque*, e quibus patere, Canidiam saepius partum simulasse et simulare, nemo negabit. Cur igitur, si venefica ista plures haberet filios suppositos, poeta tantum Pactumejum ventrem ejus fuisse dixit, non caeteros quoque? Ergo nomen proprium omnino non quadrat in hunc locum. Revocanda igitur erit cum Fea et Jahnio altera lectio *partumejus*. Recte quidem Bentlejus negat, hoc verbum ullo alio loco reperiri, sed quis tandem alia verba, quae nisi apud Horatium non inveniuntur (ut *inaudax* Od. III. 20. 3. *incogitare* Ep. II. 1. 122. *juvenari* de arte poet. 246. *scurrari* Ep. I. 17. 19 et I. 18. 2. *praecanus* Ep. I. 20. 24. *circumgemere* Epod. XVI. 51), unquam rejicere ausus est. Bentlejus porro negat hoc verbum ad analogiae regulas formatum esse; quod non concedo. Secunda pars verbi certo ad analogiam formata est, nam ut — *fluus* (circumfluus) a fluendo, sic — *mejus* a mejendo derivatur; in priore parte quidem exspectaveris *parti* — (ut homicida, foenisex, artifex, tibicen), sed, nisi fallor, *partu* — positum est, quoniam in flectendo

quoque verbo *partus* litera *u* praevalet (partibus). *Partimejus* esset etiam ambiguum. Denique contendit Bentlejus, hac lectione servata, male subjungi *cruore*, quia eo indicetur partus non adeo facilis, sed quicumque artem medicam ex limine salutaverit, ei dicere poterit, etiam in facillimo partu saltem aliquantulum sanguinis effluere; et quo tandem modo versus 52. (*Utcunque fortis exsilis puerpera*) explicetur, si *cruore* partum difficiliorem significari necesse sit. Minime quoque negligendum puto versum antecedentem, nam verbis: *Tibi hospitale pectus et purae manus* (i. e. Tuum pectus est hospitale et tuae manus purae) optime adjungit poeta: *Tuusque venter partumejus*.